



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. III. Nec voces sunt obiectum formale Logicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

24 Ad secundum argumentum respondeo: sicut non pertinet ad Medicinam & alias scientias, ens rationis medicinale, vel Physicum; ita nec ad Logicam, ens rationis Logicum. Ad quam ergo pertinebit? Quas tu pro ente rationis Medico vel Physico, & eadem viâ inuenies pro Logico. Ego dico, talem cognitionem nec ad Logicam secundum se pertinere, nec ad Metaphysicam secundum se; sed ex utriusque principii ab intellectu postea fieri eam cognitionem ferè Metaphysicam. Cum primum enim Metaphysica dicit, *omne ens rationis est, quod non habet esse in se, sed cognoscitur ac si haberet*, & Logica dicit, *definitio est oratio explicans naturam rei*, intellectus infert, ergo definitio rationis seu facta, erit oratio facta, siueque explicans naturam rei; nec necessarius est maior discursus aut scientia noua, ad quam hæc tertia cognitio pertineat per se. Idem est in ente Physico facta, & in omnibus aliis scientiis. Quod si nimium vigeas, vt scientiam aliquam istis cognitionibus attribuamus, ne vagentur extra ædes, & sub loue frigido pernoctare cogantur; dic eas in magno Metaphysicæ palatio vnum habere cubicellum. Cum enim Metaphysica agat de ente rationis vt sic, debet etiam 15 omnes eius differentias aliquo modo complecti sub se, quando tales sunt vt solæ non sufficiant nouæ scientiæ construende: quo distinguuntur differentie realis entis à differentiis entis rationis; quia hæc parum vel nihil habent quod in eis cognoscatur, cognitâ iam essentiâ entis rationis in communi (vt ostendi supra) illæ verò habent proprietates, passionēs, essentias, & alia valde diuersa ab ente vt sic, ratione cuius distinctas à Metaphysicâ scientias merito sibi arrogant, & per se possunt propriam scientiam & domum sibi procurare. Sed hæc sufficiant de his quæ verè nugæ videntur, oportuit tamen eas explicare.

SECTIO III.

Nec voces sunt obiectum formale
Logica.

COMMVNITER Doctores tribuunt Nominibus sententiam, asserentem solas voces esse Logicæ obiectum: à quâ impositione eos vindicat Hurtadus §. 22. ostendens, eos nomine *vocum* conceptus mentis, seu mentis voces intellexisse. Vnde ex antiquioribus fortè nullus eam sententiam defendit, vt ibidem ostendit idem Hurtadus. Recentiores tamen nonnulli eam acriter tuerentur, asserentes, voces externas esse partiale Logicæ obiectum, & minùs principale. Quam sententiam hæc vnica ratione confirmant: si quis immemor definitionis mentalis, eliciat cognitionem definitionis vocalis, quâ dicat, *definitio vocalis est oratio vocalis vocaliter manifestans naturam rei per genus & differentiam*, hæc cognitio habet pro obiecto formali *voces*, neque potest pertinere ad aliam scientiam nisi ad Logicam; ergo Logica habet pro obiecto formali *voces*. Pro- 26 batur Minor: Nam si ad aliquam scientiam pertineret, maximè ad Grammaticam, vel Rhetoricam. Non ad Grammaticam, quia hæc solum docet emendatè loqui: nec ad Rhetoricam, quæ solum curat ornate & appositè loqui ad mouen-

dos affectus; ergo pertinet ad Logicam, quia non est alia ad quam pertineat. Et hinc inferunt, Logicam futuram mancā sine cognitione vocum.

Tenenda tamen est opposita sententia cum Hurtado supra, & recentioribus communiter. Ante cuius probationem oportet euertere fundamentum oppositum, quod duo videtur supponere: alterum, cognitionem, de quâ proximè, esse cognitionem vocum; alterum, eam ad Logicam pertinere, eò quòd non pertineat ad aliam scientiam. Huic aliqui respondent, concedendo eam cognitionem non pertinere ad aliam scientiam; negant tamen pertinere ad Logicam: neque enim (inquiunt) omnes cognitiones, quæ de facto sunt, debent pertinere ad aliquam scientiam. Hæc solutio satis sufficiens videbatur: quia cum aduersarij nullo positiuo argumento ostendant, eam cognitionem pertinere ad Logicam, nisi quia non pertinet ad aliam scientiam, si necessarium non est vt omnes cognitiones propriam habeant scientiam, quod experientiâ facile posset probari. Sufficenter eueritur oppositum argumentum eâ solutione: nec magis prohibitu inuenta videtur solutio hæc, quàm argumentum. Nihilominus tamen, ne censeant aduersarij redactos nos esse ad angustias,

Respondeo aliter, negando scilicet, eam cognitionem non pertinere ad Grammaticam. Sed antequam id ostendam, fateor me non intelligere, quid addatur roboris argumento, eò quòd sim immemor definitionis mentalis, quando elicio cognitionem de vocali, vt propterea cognitio illa ad solas voces terminetur: etenim etiam dum recordor definitionis mentalis, possum elicere cognitionem vocalis, nempe, *definitio vocalis est oratio vocalis explicans vocaliter naturam rei*. Quòd si, quando sum memor definitionis mentalis, illa cognitio vocum pertinet ad habitum qui terminatur ad mentalem, etiam pertinebit, etsi oblitus sim mentalis. Neque enim, quia actu 27 non sum memor definitionis mentalis, propterea habitus de illâ non est in meo intellectu, aut propterea est habitus ille impotens ad eliciendum aliquem actum. Quoties enim vnus idemque habitus naturalis elicit vnum actum ex illis ad quos inclinatur, non tamen alios ad quos etiam est in actu primo inclinatio? Sed addo, me non posse cognoscere definitionem vocalem sine cognitione mentalis, vt dicam num. 28. & 29.

Ergo vel nihil ferè interest, quòd sim vel non sim memor definitionis mentalis, dum elicio cognitionem de vocali; vel supponis id quod repugnat. In quocumque verò calu illam cognitionem pertinere ad Grammaticam, sic probò: Quia Grammatica tenetur dare voces, quibus exterius explicemus nostros conceptus, & res per illos conceptas. Item & ad Grammaticam spectat, cognoscere reflexè, an voces illæ benè vel malè, eodem an diuerso modo explicant res, ac à nobis concipiuntur: v. g. si ego volo explicare mortem Petri, Grammatica incumbit dare voces significantes mortem Petri, & ita eas disponere, vt eam mortem explicant: ergo quando ego cognosco definitionem vocalem eam esse, quæ explicat vocaliter naturam hominis, ea cognitio est Grammaticalis; quia & cognoscere eam esse orationem vocalem, Grammaticum est. agit enim Grammaticus de orationibus vocalibus, &

cognoscere eam esse orationem significatiuam, item ad Grammaticum spectat; quia Grammatica agit de significatione nominum. Vltimò, id esse per genus & differentiam, etiam est Grammaticum: quia licet Grammaticus nequeat cognoscere quid sit genus & differentia, cognoscit tamen, id posse explicari per aliqua nomina; ergo tota illa cognitio est Grammaticalis, sicut cognitio huius orationis, *ego amo Deum, & Deus amatur à me*. Neque obest, quòd illa cognitio terminetur ad definitionem vocalem in communi, quia etiam Grammatica cognoscit in communi quomodo fieri debeant orationes vocales, cuius rei testes sunt pueri secundæ classis.

Dices Primò, Illas voces ita esse dispositas, vt efficiant definitionem vocalem iuxta regulas Logica, non potest à Grammatico cognosci; ergo à Logico. Nego antecedens, quia Grammaticus, licet nequeat dare regulas Logica, at potest dare voces, & cognoscere vtrum exterius sint dispositæ, sicut interius sunt dispositi conceptus, quod est concipere eas esse iuxta regulas Logica. Explicatur id vltimò: nequeo concipere hoc nomen *homo*, quin concipiam rem per illud significatam, quæ est ipse homo; sicut neque possum concipere definitionem vocalem, nisi concipiam definitionem mentalem, quam significat. Ergo sicut cognitio huius nominis *homo*, quâ parte includit cognitionem ipsius hominis, est Philosophica; quâ parte verò dicit cognitionem significationis, est Grammatica: ita etiam cognitio definitionis vocalis, quâ parte dicit cognitionem mentalem, est Logica; quâ verò est cognitio significationis, est Grammatica. quod omnibus vocibus commune est. Ratio verò à priori est facilis, eò quòd, cum voces ex se nihil significant, non possum cognoscere illas esse benè ordinatas, nisi cognoscam actus intellectus pro quibus supponuntur, aut obiecta significata quibus debent conformari vt rectè significant: ergo quando concipio rationem vocalem esse benè dispositam in ratione definitionis vocalis, necessario debeo concipere, idè esse bonam vocaliter, quia est iuxta mentalem. Cum ergo ad Grammaticum spectet, cognoscere, vtrum voces sint iuxta conceptum mentis, ad Grammaticum etiam spectabit, cognoscere quæ sit definitio vocalis, & quid significet, licet debeat supponi in mente cognitio Logica de definitione mentali.

Dices Secundò: Grammatica non cognoscit illud artificium, ergo debet cognosci à Logica. Respondeo, illud artificium nihil aliud esse, quàm coniungere duas voces exprimentes conceptum genericum, & conceptum specificum; hoc autem quis dubitet ad Grammaticum pertinere: Nec maius est artificium in definitione vocali, quàm in vocibus explicantibus historiam aliquam, aut facietas continentibus, quæ purè spectant ad Grammaticam, vel summum ad Rhetoricam.

Dices Tertiò, te non loqui de cognitione, quâ quis scit quibus vocibus debeat explicari definitio mentalis; non enim videtur posse negari, eam cognitionem esse Grammaticam: sed de cognitione, quâ quis reflexè cognoscit quid significet definitio, vel diuisio vocalis, quæ cognitio non videtur posse pertinere ad Grammaticam; hæc enim non tam delevit ad cognitionem vocum quibus

explicemus conceptus, quàm ad cognoscendam significationem ipsarum vocum; ergo erit Logica. Respondeo, cognitionem reflexam de significatione vocum, etiam esse Grammaticam, quæ non solum dat voces ad significandas res, sed etiam reflexè cognoscit, eas voces esse significatiuas, & cuius rei, vt in hac voce *homo*, quam Grammatica cognoscit esse significatiuam hominis; ergo similiter non solum pertinebit ad Grammaticam dare voces ad explicandam definitionem mentalem, sed etiam cognoscere, eas voces significare rem hoc vel illo modo per nomen commune, & per nomen particulare, quod est explicare per genus, & differentiam vocalem, sicut cognoscit hoc nomen *Ferdinandus Austriacus*, explicare Imperatorem per nomen proprium ipsius, & per commune familiæ ex quâ oritur. Neque video discrimen vllum inter has duas cognitiones. Quòd si, quando dico, *definitio vocalis explicat rem per genus & differentiam*, datur cognitio generis & differentie, nihil inde contra nos; quia etiam cum dico, *leo significat leonem*, quæ cognitio est merè Grammatica, datur etiam cognitio essentie ipsius leonis: tam autem reputat cognosci leonem à Grammatica, quàm genus & differentiam. Ratio autem supra à nobis innuata est, quia Grammatica ad præstandas voces, & cognoscendas earum significationes, semper iuuatur actibus intellectus, vel diuersis scientiis, ad quas pertinet obiectum explicatum per voces Grammaticas, vt etiam supra obiectuui: nullus enim, quantumvis perfectus Rhetor, benè loquitur in materiâ Physicâ, nisi Physicam sciat. Idem est in aliis scientiis, quia Grammatica est quoddam instrumentum generale, quo omnes scientiæ se produnt exterius, non tamen idè omnes scientiæ habent pro obiecto voces. Neque quoad hoc quid specialius video in Logica, quàm in aliis scientiis. A priori probò meam conclusionem argumento ex huc vsque dictis eruto: quia circa voces tria tantum possunt inquiri, vel earum inflexio, vel significatio, vel dispositio artificialis; neque apparet quid aliud possit circa illas, vt significatiuæ sint, inuestigari; sed hæc tria pertinent ad Grammaticam, ergo, &c. Probo Minorem, Grammatica agit de inflexione vocum, item de significatione earum; item de dispositione, quæ nihil aliud est, quàm talis coordinatio vocum, vt significant exterius rem eo modo, quo interius concepta est ab intellectu. Ergo totum, quod circa voces potest inuestigari, pertinet ad Grammaticam, excludendæ ergo sunt voces ab obiecto formali Logica. Confirmatur nostra sententia ex Aristotele docente, *Rhetoricum esse ad alium, Logicum ad se*; ergo Logicus ex mente Aristotelis non agit de vocibus: cuius ea est ratio, quia Logicus agit de modo sciendi, & de his quæ ad eum deferuire possunt; sed voces non deferuiunt ad modum sciendi, sed ad modum loquendi, ergo non pertinent ad Logicam. Confirmatur, quia modus sciendi perfectissimus esse potest vel in Angelo, vel in muto, etiam si neuter habeat cognitionem vocum, quibus aliis explicet suos conceptus.

Dices, mutum non futurum perfectum Logicum, quia non haberet eam scientiam de vocibus. Contrâ, Logica perfecta ordinatur ad dirigendas operationes nostri intellectus: sed hæc si-

ne vocibus possunt perfectè dirigi, ergo & sine vocibus potest Logica esse perfecta.

Sed urgetur: Ipsa cognitio vocum est operatio intellectus, ergo illa debet à Logica cognosci: Fateor, cognitionem de vocibus posse esse obiectum Logicae, sed hinc non inferitur, voces esse obiectum formale Logicae: sicut, licet definitio hominis sit obiectum Logicae, non tamen inde inferitur, ipsum hominem esse obiectum Logicae, nisi ut summum materiale. quod fatemur etiam de vocibus, ut & de ente rationis diximus Sectione precedenti, & in secundâ de omnibus rebus in vniuersum. Quod si Logicus aliquando disputat de vocibus externis, de signo & scripturâ, id facit indirectè (ut rectè Hurtadus §. 40.) quatenus in ipsis vocibus externis ponit exemplum, ut in re notiori, & ex quâ procedit ad cognitionem sui obiecti: sicut Astronomus agit de sphaerâ ligneâ, ut per illam cognoscat sphaeram celi; quia in ipsâ sphaerâ ligneâ, ut in re obuiâ, & quam prae manibus habet, explicat, quæ de sphaerâ celi distat, & non facile monstrabili, cognoscere intendit; non tamen ideò sphaera ligneâ obiectum formale Astronomi dici potest. Ita similiter dicendum omnino est de vocibus externis, respectu Logicae.

33 Aduerte hic, recentiores alios quasi mediam viam ingressos fuisse, probando diuersum habitum esse eum, quo consideratur definitio vocalis, ab eo quo consideratur mentalis. quo pacto se omnia conciliare putant, addentes tandem esse quæstionem de nomine, an ille habitus pertineat ad Grammaticum, an ad Logicam.

Ceterum hi probant id de quo nullus vniquam dubitauit. Quis enim negabit, diuersum habitum esse, qui inclinatur ad loquendum, ab eo qui ad cognoscendum, & posse esse vnum sine alio: sicut nullus dubitat Grammaticum esse diuersam scientiam ab aliis. Non est ergo quod de hoc probando laborent. Quoad secundum verò, fateor, aliquid esse de quæstione de nomine, an dicendus sit ille habitus Logicus, an Grammaticus. Ceterum de re potest etiam aliquid includere, præsertim si omnes habitus vnius scientiæ vniuntur inter se, vel esset vnicus ad omnia obiecta eius scientiæ; tunc enim esset de re, quis habitus ad cognitionem de vocibus inclinaret, vel cum quibus vniretur. Et saltem in omnium sententiâ est difficultas, ad quod obiectum attributionis, an Logicae, an Grammaticae, dicar realem ordinem: & ex hac parte est quæstio hæc de re. Siue autem de re, siue de nomine, est communis ad omnes alias scientias, ut ostensum est à me supra: & qualiter in eâ loquendum sit, satis manifestè declaratum & probatum est.

SECTIO IV.

Triplex intellectus operatio est obiectum formale Logicae.

34 Ex hucusque dictis adeò clarè colligitur, solos actus intellectus esse obiectum formale Logicae, ut otiosum videatur in eo amplius immorari. Probatum enim est, modum sciendi, qui in solis actibus intellectus reperitur, esse obiectum Logicae, quæ versatur in dirigendis nostri intel-

lectus operationibus: sed oportet videre, an omnes illæ ad Logicam pertineant. Hurtadus disputat. 1. §. 16. opinatur, apprehensionem simplicem, quæ prima est intellectus operatio, non esse obiectum formale Logicae. Quod probat à simili: quia neque phantasia, neque exterior sensus ad Logicum pertinent, etiam si ex eis oriatur error. Secundo, quia Logica non potest dirigere primam apprehensionem; ergo hæc non est obiectum Logicae. Pater consequentia, quia illud solum est obiectum Logicae, quod potest præceptis Logicis dirigi. Tandem, quia apprehensio solum videbatur posse à Logico considerari, ut pars iudicii: at iudicium est simplex qualitas, quæ non componitur formaliter ex apprehensione; ergo hæc non pertinet ad Logicam.

Hæc sententiâ omnino displicet. Ideò nostra CONCLUSIO PRIMA sit, Apprehensio pertinet formaliter ad Logicam. Pro hac stat manifestè D. Thomas Opusc. 9. Sed respondet Hurtadus, eum intelligendum materialiter, quia subiectum & prædicatum iudicii respondent apprehensioni. Verum hæc interpretatio nimis violenta est; quia eodem modo posset interpretari D. Thomam, quado dicit definitionem pertinere ad Logicam; id est, solum materialiter, quatenus in argumentatione includitur: vel, si mauis, posset dici, visionem pertinere ad Logicam, quia quod per visionem intuemur, postea per propositionem iudicamus. Quomodo enim verum est dicere, apprehensio pertinet ad Logicam, cum tamen non aliter pertinere dicatur, nisi quia, quæ per apprehensionem noscuntur, possunt etiam nosci per iudicium, quod ad Logicum spectat. Vidit hoc ipsemet Hurtadus, & sententiam suam non adeò solidè probari; ideò tandem concludit, quod si vis hanc ad Logicam pertinere, dic eam esse modum sciendi.

Ratione autem sic ostendo manifestè apprehensionem ad Logicam pertinere: quia licet multæ apprehensiones non possint à Logico dirigi, eò quod naturaliter & necessariò in nobis excitantur (quo etiam modo & multa iudicia impediri non possunt; non enim est mihi liberum, cohibere iudicium de obiecto quod præsens intueor) potest tamen optimè Logica dicere, Quando vis facere vniuersale, debes habere vnam apprehensionem plurium per modum vnius, vel confusam, vel copulatiuam, vel disiunctiuam (si fortè apprehensio disiunctiuâ potest esse solius vnius termini) vel saltem totius propositionis. Possum enim apprehendere, *Petrus vel Paulus currit*, etiam si id non iudicem. Eodem modo potest intellectus dirigi, ut quando vult facere definitionem, habeat duas apprehensiones, vnam de ratione genericâ, alteram de differentiâ. Neque video, cur Logica me possit docere, habere istum actum iudicii, *homo est animal rationale*; & non possit me docere, habere duas istas apprehensiones *animal, rationale*, etiam si non iudicem tunc, *homo est animal*; eodem enim modo, quo dicit, *de equo debes predicare, animal hinnibile*, ita potest dicere, *hinnibile coniungi debet cum animali, hoc modo, animal hinnibile*, ut fiat definitio in abstracto. Confirmo, & explico: Logica non dirigit in ordine ad iudicium, docendo, iudiciû falsum fieri posse verum, (hoc enim repugnat) sed docendo, hoc iudicium debet hîc & nunc fieri, il-